LENGUA LATINA

J. ECHAVE-SUSTAETA

ROMA

I

MCMLIV

LENGUA LATINA

J. ECHAVE-SUSTAETA
CATEDRÁTICO DEL INSTITUTO VERDAGUER

ROMA

I

EDICIONES CEFISO
Bellesguard, 4
BARCELONA
MCMLIV

PRELIMINAR

Tiende este centenar de páginas de lectura latina a un ambicioso fin: prender en la malla de su ingenuidad el ánimo infantil desde el mismo umbral de esta disciplina. Todo se supedita a esto, en pos del precepto horaciano de entreverar lo ameno con lo útil.

Movido de este afán no ha reparado el colector, por mejor lograr su propósito, en servirse de libros de fuera en gracia a su extremada sencillez o a su viva seducción, como en el caso del opúsculo de Lavault, utilizado en la primera parte, o del sugestivo libro de Appleton, en que ha espigado las páginas de la tercera. De uno y otro se declara deudor.

Inserta en la segunda parte unas cuantas narraciones medievales. Al candor y atractivo del relato se une en este caso un notorio provecho. El mismo vocabulario y la forma de unión de términos y oraciones, tan cercanos a nuestro idioma, acucian a la lectura, cautivo de continuo el alumno del señuelo de lo narrado, y sirven a la par al maestro para llamarle la atención —ocasionalmente, con cauta medida— sobre un hecho esencial: la viva y patente evolución del latín.

Los ejercicios de conversación, que incluyo a lo largo de la primera parte y al cabo de la tercera, no sólo ayudan a que el escolar llegue a mirar este idioma como algo animado y activo, sino que, burla burlando, le familiarizan con las reglas de su compleja flexión. Lo que, a una con los demás ejercicios, será parte a vencer la tradicional inercia del alumno ante esta disciplina.

PARS PRIMA

PARS PRIMA

Quis erat Iuppiter?

Iuppiter erat deorum hominumque pater.

Iuno fuit Iovis coniux. Pavo Iunoni sacer erat. Iovi aquila erat sacra.

Iovi duo fratres erant: Neptunus et Pluto.

Cum fratribus Iuppiter imperium mundi divisit.

Iuppiter regnabat in caelo. Mare fuit Neptuni regnum.

Pluto regnabat in Inferis. Proserpina, Cereris filia, fuit Plutonis uxor.

Advena villam visitat

Ecce, advena ab oppido per silvam venit. Ubi per silvam venit, quid videt? A dextra nautarum casas et cumbas videt. Casae prope oram stant. Quid faciunt nautae? Vela et remos capiunt et in cumbis ponunt; mox vela dant et ab ora navigant.

A sinistra domini villam videt. Per viam ad villam ambulat. Ubi ad portam venit, stat, et liberos specat; in horto villae ludunt. Plaustrum per viam e fundo venit. Vinum et frumentum portat et tauri trahunt.

Advena trans fluvium ambulat et in agro sedet. Agricolae vaccae in aqua fluvii stant. A dextra aquam et

insulam et nautarum cumbas videt; ventum et undas audit. A sinistra fundum et colonorum casas videt. Vilicus et coloni in agris laborant. Quid faciunt? Aratra tauri trahunt, gubernant coloni. Quid in iugo videt? Puellae Florae aram ornant et vinum et frumentum in ara ponunt.

Quot oculi tibi sunt?

MAGISTER.—Quot oculi tibi sunt?
DISCIPULUS.—Duo oculi mihi sunt.
MAGISTER.—Quot digiti tibi sunt?
DISCIPULUS.—Unus, duo, tres, quattuor, quinque, sex, septem, octo, novem, decem.—Mihi sunt decem digiti.
MAGISTER.—Quot sunt quattuor et sex?
DISCIPULUS.—Quattuor et sex sunt decem.
MAGISTER.—Quot sunt duo et decem?
DISCIPULUS.—Duo et decem sunt duodecim.

Dominus ad villam redit

Ecce, equus et viri per silvam veniunt. Equus dominum portat, et servi pauci prope equum ambulant. A magno oppido ad villam veniunt. Domini villa prope oram et fluvium stat et ad aquam et insulam spectat. Hortum pulchrum habet; murus longus et altus villae hortum claudit. Multi servi et multae ancillae domino villam parant.

Domina et filius et filiae ad portam stant et viam longam spectant. Tandem puer equum audit et mox dominum et servos puellis monstrat. Servi multa in umeris portant. Ubi ad villam veniunt, dominus ab

equo salit et dominam et liberos salutat. Filio hastam parvam, puellis tunicas pulchras dat. Tum dominus et liberi villam intrant.

Quot manus mihi sunt?

Manus duae mihi sunt: dextra et laeva, vel sinistra.

Dextra est valida. Dextra est validior quam laeva. Validior manuum est dextra.

In ultraque manu sunt quinque digiti.

Manibus et digitis tango, prehendo, premo, teneo, pello aliquid.

Manum comprimo et facio pugnum.

Pugno ferio aliquem.

Marcus

Marcus est domini filius. Est puer magnus, umeris et bracchiis validis. Inter filios incolarum et nautarum multos et caros amicos habet quod semper paratus est ludere vel in agris vel in ora, vel in silva. Per agros ambulant, agricolae equos, tauros, capros spectant, in ora ludunt, saliunt, saxa iaciunt, vel tunicas ponunt et in undis natant.

Interdum, ubi caelum est bonum et laetum nauta Marcum et amicos cumba ad insulam portat. Sed silvam maxime amant. Densa est et nigra, sed inter ulmos altas est herba longa et tenera, ubi pueri saepe iacent.

Sed apros et lupos in densa silva interdum audiunt vel etiam vident. Tum pueri miseri timent, in dextram et in sinistram timidi spectant, hastas parvas dextris capiunt; sed Marcus ad viam et villam amicos tutos semper reducit.

Anni tempora

Anni tempora quattuor sunt: ver, aestas, autumnus, hiems.

Vere novo plantae et herbae crescunt in pratis, agris, silvis.

Aestas est calida. Sol aestivus ardet.

Poma dat Autumnus. Deinde folia cadunt.

Hiems est frigida. Hieme interdum ningit.

Annus divisus est in duodecim menses.

Menses sunt: Ianuarius, Februarius, Martius, Aprilis, Maius, Iunius, Iulius, Augustus vel Sextilis, September, October, November et December.

Apud priscos Romanos primus anni mensis erat Martius. Aprilis erat secundus mensis. Februarius erat ultimus, vel postremus mensis.

Ubi est Roma?

MAGISTER.—Ubi est Roma?

DISCIPULUS.—Roma est in Italia.

MAGISTER.—Ubi est Italia?

DISCIPULUS.—Italia est in Europa.

MAGISTER.—Ubi est Hispania?

DISCIPULUS.—Hispania est in Europa.

MAGISTER.—Estne Barcino in Italia?

DISCIPULUS.—Barcino non est in Italia, sed in Hispania.

MAGISTER.—Ubi sunt Athenae?

DISCIPULUS.—Athenae sunt in Graecia.

Surge et veni huc

MAGISTER.—Surge et veni huc.
DISCIPULUS.—Surgo et venio.
MAGISTER.—Sta hic. — Adspice ianuam. — Quid est ante oculos tuos?
DISCIPULUS.—Ianua est ante oculos meos.
MAGISTER.—Verte tergum.—Ubi est ianua?
DISCIPULUS.—Ianua est post me.
MAGISTER.—Specta sursum. Quid vides?
DISCIPULUS.—Tectum video.
MAGISTER.—Ubi est tectum?
DISCIPULUS.—Tectum est supra capita nostra.
MAGISTER.—Ubi est pavimentum?
DISCIPULUS.—Pavimentum infra pedes nostros est.

Canis mordet

Canis mordet. Vespa pungit aculeo. Cornu ferit taurus. Asinus calcibus contundit. Gallus rostro caedit. Ungibus et rostro aquila praedam laniat.

Ante usum armorum, homines pugnis, calcibus et morsibus certabant.

Quo colore est nix?

Nix est alba; carbo est ater. (Contrarius color albo est ater.)

Cycnus est candidus; creta est candida; lilia sunt candida.

Corvus est niger; pix est nigra; pix et fuligo sunt nigrae.

Sanguis est ruber; rosa est rubra; vinum est rubrum.

Leo est fulvus; cera est fulva; aurum est fulvum.

Mel est flavum; Ceres erat flava.

Herba est viridis; gramen est viride.

Caelum est caeruleum; mare est glaucum.

Quis erat Mars?

Mars, Iovis fiilius, belli deus fuit.

Bellona, Martis soror, erat belli dea.

Vulcanus, Iovis et Iunonis fiilius et Veneris coniux, deus ignis erat. Venus omnes deas forma superabat.

Apollo luminis et solis deus fuit.

Diana, vel Luna, Apollinis soror, silvas incolebat, ferasque per silvas indagabat.

Minerva fuit dea sapientiae. Minerva diligebat Athenas et Athenienses, quibus olivam dedit. Imago pulchra Minervae, opus Phidiae, Athenis collocata erat.

Mercurius erat nuntius deorum. Mercurius erat deus eloquentiae, lucri, mercatorum et furum.

I ad tabulam

MAGISTER.—I ad tabulam.

DISCIPULUS.—Surgo atque eo ad tabulam.

MAGISTER.—Dele quod scriptum est in tabula.

DISCIPULUS.—Deleo quod scriptum est in tabula.

MAGISTER.—Scribe nomen tuum.

DISCIPULUS.—Scribo nomen meum.

MAGISTER.—Nunc aperi fores atque i foras.

DISCIPULUS.—Aperio fores. Eo foras.—Eo in aream.

MAGISTER.—Ubi es?

DISCIPULUS.—Sum foris.—Sum in area.

MAGISTER.—Veni intro.

DISCIPULUS.—Venio intro.
MAGISTER.—Unde venis?
DISCIPULUS.—Venio foris.—Venio ex area.
MAGISTER.—Quo tendis?
DISCIPULUS.—Eo intro.—Eo in scholam.
MAGISTER.—Ubi es?
DISCIPULUS.—Intus sum.—Sum in schola.
MAGISTER.—Optime.—Nunc sede.

Anseres Capitolium servant

Olim bellum atrocissimum a Gallis, gente saevissima, cum Romanis gerebatur. Roma a Gallis obsidebatur; solum Capitolium, mons abruptus, Romanis relinquebatur et a Manlio, viro summae virtutis, et a paucis sociis custodiebatur. Sed Galli, qui militem Romanum montem descendere viderant, eadem via ascendere nocte statuerunt. Manlius et socii dormiebant: ne a canibus quidem hostes audiebantur.

Sed in summo monte erant anseres, Iunonis sacri. Gallorum primus ad summum paene pervenerat cum subito voces anserum a Romanis audiebantur. Statim Manlius e cubili exsiluit, arma rapuit, amicos ad se vocavit. Scuto Manlius Gallum in socios deiecit. Magarmorum strepitu omnes hostes ad imum montem ceciderunt. Postea anseres, quod Capitolium servaverant, magno in honore a Romanis semper habebantur.

Mane sol oritur

Mane sol oritur in Oriente.
Meridie sol supra capita nostra lucet.
Vespere sol occidit in Occidente.
Interdiu sol, noctu luna et stellae terram illustrant.

Cum caelum nubilum est, nubes solem, lunam, stellas occultant.

Dies noctem sequitur; nox diem.

Romani in duodecim horas diem dividebant.

Hieme dies breves, aestate longi sunt.

Breviores igitur horae hibernae fuerunt quam horae aestivae.

Prima hora incipiebat oriente sole.

Meridies erat sexta diei hora.

In quattuor vigilias nox dividebatur.

Occidente sole incipiebat prima vigilia.

Quo tendis?

MAGISTER.—Quo tendis?

DISCIPULUS.—Domum redeo.

MAGISTER.—Quid dicis?

DISCIPULUS.—Dico me domum redire.

MAGISTER.—Unde venis?

DISCIPULUS.—E schola venio.

MAGISTER.—Qua iturus es?

DISCIPULUS.—Hac, ad sinistram, per forum.

Kalendae

Kalendae primi dies mensium erant.

Nonae dicebatur quartus aut sextus dies, qui primum sequebatur.

In Martio, Maio, Iulio et Octobri Nonae dicebatur sextus dies post Kalendas.

In reliquis vero mensibus Nonae dicebatur quartus dies qui primum sequebatur.

Idus dicebatur octavus dies qui sequebatur Nonas.

«Sex Maius Nonas, October, Iulius et Mars,
Quattuor at reliqui; dabit Idus quilibet octo». [1]

Hasta est longa

Hasta est longa, sagitta vero brevis.
Arcus curvus est, recta autem sagitta.
Figura hominis recta est, animantium ceterorum prona.
Amnis est latus; rivulus est angustus.
Charta est tenuis; filum est tenue.
Ciconiae collum est procerum et tenue.
Elephanti cutis crassa est.
Caelum est altum, mare est altum.
Cedrus est altissima arborum.
Turres celsae sunt, casae vero humiles.
Rota est rotunda. Poculum est rotundum et cavum.
Mensae sunt rotundae et planae.
Pavimentum est aequum et planum.
Baculum est teres. Digiti sunt teretes.

Vita rusticana

GAIUS.—Videsne villam?
PUBLIUS.—Villam equidem video.
GAIUS.—Quid ad villae portam aspicis?
PUBLIUS.—Vilicum, colonos, servos et ancillas aspicio.
GAIUS.—Nonne etiam hortum vides?
PUBLIUS.—Hortum haud procul a villa video.
GAIUS.—Quid in horto vides?

[1] Caían, por tanto, las Nonas el día 7 ó 5, según se trate de unos u otros meses; las Idus el 15 ó 13 respectivamente.

PUBLIUS.—Pueros ludentes video. Ecce parentes iuxta sedent et interdum filios spectant.

GAIUS.—Nihilne amplius circum villam vides?

PUBLIUS.—Oves et agnos, equos et tauros, porcos, gallinas et canes etiam video.

GAIUS.—Aspice columbam. Ut celer nunc volat; ecce, candidas alas non commovet.

PUBLIUS.—Nonne te ruris vita delectat?

GAIUS.—Magnopere me ruris vita delecta. Iam, ut ille Horatius noster, rure ego viventem beatum dicam.

Romulus et Remus

Olim erant fratres duo, Numitor, rex urbis Latinae, et Amulius. Numitori erat filia quae a deo Marte amabatur. Rheae Silviae (hoc nomine regis filia vocabatur) erant fiilii duo, Romulus et Remus. Amulius fratrem Numitorem bello vicerat et ex regno expulerat. Itaque servos in Tiberim fluvium pueros parvos iacere iussit. Sed undis fluvii pueri ad ripam reportantur. Ibi lupa eos repperit et aluit. Tum servus quidam, nomine Faustulus, a quo regis pecudes servabantur, liberos vidit et domum portavit. Multos annos cum Faustulo et uxore vixerunt.

Romulus et Remus, iam iuvenes, ubi de rebus ab Amulio gestis audiverunt, regem interfecerunt regnumque Numitori reddiderunt. Tum a fratribus urbs nova prope eum locum ubi lupa eos reppererat aedificatur. Sed dum muri aedificantur ,fratres dissentiebant. Nam Remus muros urbis novae parvos contempsit et transiluit. Tum Romulus fratrem gladio cecidit.

De animantibus

Homo graditur.
Equus currit.
Capra salit.
Lacertus repit.
Vipera serpit humi.
Simius scandit arbores.
Avis volat in aere.
Piscis natat in aqua.

Canis latrat; equus hinnit; bos mugit, asinus rudit; leo rugit; ovis balat; porcus grunnit; gallus canit; gallina pipat; corvus crocitat; lusciniae garriunt; serpens sibilat; piscis mutus est.

Mane piger stertis

Mane piger stertis, ego vero expergiscor, et e lecto surgo.

Induo vestem, atque ore et manibus lautis, patrem et matrem salvere iubeo.

Disco quae ediscenda sunt et, cibo sumpto, eo ad ludum.

Nunc sum in schola, et verba magistri audio.
Magister docet.—Discipuli discunt.
Vespere fessus sum. Eo cubitum.
Eo in cubiculum, et cubiculi ostium claudo.
In cubiculo calceos et vestem pono.
Recumbo in cubili, et lucernam exstinguo.
Oculis clausis, somnum capio.

Hominis aetates

Dii sunt mortis expertes, sed homo nascitur, vivit, moritur.

Primo homo infans est, deinde puer, tum adulescens, postea iuvenis aut vir, denique senex.

Ut puer fit adulescens, vir et senex, ita puella fit virgo, postea mulier, denique anus.

Infans nondum fari potest, sed vagit in cunis aut in gremio matris.

Viri tamdiu dicuntur iuvenes, quamdiu (vel quoad) militare possunt.

Infantes sunt imbecilli; viri sunt validi; aetate fessi senes, sicut pueri, sunt debiles.

Quis est avus?

Avus est patris aut matris pater.
Avia est patris aut matris mater.
Patruus est patris mei frater.
Amita est patris mei soror.
Avunculus est matris meae frater.
Matertera est matris meae soror.

Tartarus

Post mortem Mercurius ducebat animas ad Inferos.

Defunctorum animas Charon, Inferorum portitor, in cymba per Stygiam paludem transvehebat.

Eacus, Minos et Rhadamantus, iudices inexorabiles, animas iudicabant, et, expensa singulorum vita,[1] pro-

bos in Elysium, et sceleratos in Tartarum mittebant.

Tartarus erat locus profundissimus Inferorum.

Cerberus, canis immanis, cui tria capita erant, Tartari custos erat.

In Inferis Ixion rotae vertenti adstrictus perpetuo circumagebatur.

Sisyphus volvebat saxum. Urnas frustra Danaides plenas ferebant, et aqua implere pertusa dolia conabantur.

Regulus

Accipe fabulam de summa virtute viri Romani. Multos annos bellum a Romanis cum Poenis gerebatur. Tandem Regulum consulem cum exercitu in Africam miserunt Romani. Diu Regulus rem felicissime gerebat. Hostes pacem petiverunt sed frustra, nam Romani se saevissimos praebuerunt. Itaque Poeni exercitum ingentem paraverunt, Romanorum multa milia ceciderunt, Regulum ducem ceperunt.

Primo Regulum interficere cupiverunt sed a Romanis Poeni multi et clarissimi captivi tenebantur. Regulum igitur Romam mittere statuerunt. «Romam», inquiunt, «i, pacem pro nobis pete. Poenos captivos Roma Carthaginem remitte. Si rem bene gesseris, tibi Romae cum uxore liberisque manere licebit. Sin male, ad urbem nostram revenire debebis, et interficieris.

Regulus igitur Carthagine excessit et Romam navigavit. A civibus magno cum gaudio accipitur. «Si bellum», inquit, «paulo diutius geretur, hostes nostri a vobis celeriter vincentur.» Amici Regulum Romae cum uxore liberisque manere iusserunt. Sed ille, «fidem», inquit, «et dedi et servabo, quamquam Carthagine, a Poenis, interficiar.»

Itaque Regulus, ubi in Africam venit, a Poenis iratis cruciatibus atrocissimis interfectus est.

Arma romanorum

Dux ciet milites ad arma.—Milites duci parent.
Miles induit galeam, ad caput tegendum.
Loricam induit, qua pectus tegit.
Laevo bracchio scutum gerit.
Eminus hastis, cominus gladiis milites utuntur.
Miles gladium destringit, et hostem ferit gladio.
Sagittarius aptat sagittam nervo.
Sinistra manu retinet arcum, quem dextra intendit.
Oculis spatium emetitur.
Erumpit stridens nervo pulsante sagitta.
Missile volat, et petit hostem, quem cuspis acuta teli transfigit.
Haeret in vulnere telum.

Sermo

AULUS.—Quid agis hodie?
MANLIUS.—Lego librum.
AULUS.—Quid heri egisti?
MANLIUS.—Legi.
AULUS.—Quid ages eras?
MANLIUS.—Legam.
AULUS.—Consumis tempus legendo. Cur tam assidue legis?
MANLIUS.—Magister nos hortatur ad legendum.
AULUS.—Sunt tibi multi libri; non sunt mihi totidem. Quis tibi tot libros dedit?
MANLIUS.—Magister mihi dedit libros legendos. Tu

vero, cur non legis? Nonne tibi est tempus legendi?

AULUS.—Non lego, quia non habeo librum.

MANLIUS.—Habe hunc librum; optimus est. Lege et tradde memoriae hanc sententiam: Gutta cavat lapidem non bis sed saepe cadendo.

Bacchus

Bacchus, Iovis filius, primus vinum invenit.

Vitis in vinea colitur. Vitis natura caduca est.

Quamobrem saepe in Italia vitis coniungitur ulmo, et amicitur arbor vitibus.

Vere ineunte vinitor putat vitem luxuriantem.

Mox gemma uvida in palmite turget, et vitis fert uvas.

Uva succo terrae et calore solis augescit.

Vitis vestita pampinis nimios solis defendit ardores.

Vinitor vindemiam facit. Maturas uvas carpit, calcat, et premit in prelo. E prelo mustum defluit in lacum, et spumat plenis vindemia labris.

Vinum novum fervet.

Vinum conditur in dolio in cella vinaria.

Agricola

Ager, quamvis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest.

Itaque agrum colit agricola, et praeparat ad satus accipiendos.

Arator arat. Boves aratrum trahunt.

Voce instigati et stimulo concitati, iuvenci sub iugo sudant et anhelant.

Arator scindit terram vomere, glebasque vertit, et sulcos ducit.

Callidi aratoris manus callent.

Imperitus arator nonnumquam delirat.

Ager non semel aratur, sed novatur, et iteratur; sic meliores fetus et grandiores edit.

Salve, magister!

PUERI.—Salve, magister!

MAGISTER.—Salvete, pueri! Tu, Gai, affer mihi tabulam in qua scripsisti.

GAIUS.—Ecce tabula.

MAGISTER.—Bene scripsisti. Tu, Luci, tabulam mihi trade.

LUCIUS.—Trado tabulam.

MIGISTER.—Male, Luci, scripsisti. Versusne didicisti quos vos discere iussi?

GAIUS.—Equidem didici.

(Puer recitat).

MAGISTER.—Carmen bene didicisti sed versus male dixisti. Audi alios. Tum facile disces melius et pulchrius dicere. Tu, Marce, carmen dic.

MARCUS.—Libens faciam.

(Marcus carmen dicit).

MAGISTER.—Partim te laudo, partim vitupero; dixisti enim nimis cito. Nunc recita tu, Sexte.

SEXTUS.—Libenter.

(Suaviter puer recitat).

MAGISTER.—Optime. Magnopere verba tua mihi placuerunt. Nunc, pueri, removete calculos. Dicat Marcus: si de quincunce [1] remota est uncia quid superat? iam poteras dixisse.

[1] Moneda romana de cobre, equivalente a cinco onzas de las doce en que se dividía el as. Era éste la unidad monetaria romana, también de cobre; al principio pesaba una libra,

MARCUS.—Triens.
MAGISTER.—Redit uncia, quid fit?
MARCUS.—Semis.
MAGISTER.—Rem poteris servare tuam. Nunc sede.

De diis agrestibus

Pan erat deus agrestis. Pan, Mercurii filius, capri caput ac pedes, necnon barbam et cornua gerebat. Primus calamos cera coniungere plures instituit. Illum comitabantur Satyri, et in Arcadia praecipue colebatur. Eius in honorem Romani mense Februario celebrabant Lupercalia, quibus in festis sacerdotes, qui Luperci vocabantur, nudi per Urbem discurrebant.

Pales, velut Cybele, invocabatur a pastoribus. Eius festa celebrabantur Aprili ineunte.

Pomona fructuum, Flora florum gerebat curam. Ludi in Florae honorem celebrati vocabantur Floralia.

Priapus erat deus hortorum.

Terminus erat deus, qui fines agrorum tuebatur. (Fines in agris sunt limites, qui agrum ab agro dirimunt).

De pastu animantium

Pastum animantibus large et copiose natura eum, qui cuique aptus erat, comparavit.

Animalia alia sugunt, alia carpunt, alia vorant, alia mandunt.

325 grs., y valía unos 58 céntimos de peseta. El *semis* era la mitad del as y tenía, por tanto, seis onzas; el *triens* era la tercera parte del as, equivalía, pues, a cuatro onzas. Pero a partir del siglo III a. J. C. redujo el as su peso y valor. En tiempo de Cicerón (siglo I a. J. C.) valía unos cinco céntimos.

Vitulus sugit ubera vaccae, et lacte vescitur e mammis expresso.

Boves pabulantur, et epastas herbas ruminantur.

Foeno et hordeo vescuntur equi. Asinus carduos pascit. Sues glande pascuntur.

Tenera tondent simiae virgulta capellae.

Pleraeque aves granis aut vermibus vescuntur.

Cicadae rore ali dicuntur; stercore verso scarabaeus alitur.

Lupus non solum greges, sed armenta impetit.

Romani reges

Roma septem reges habuit.

Romulus condidit Romam.

Numa Pompilius Romanis leges constituit.

Tullus Hostilius et Ancus Martius Caelium montem, Aventinum et Ianiculum Urbi adiecerunt.

Tarquinus Priscus Circum aedificavit, et ludos Romanos instituit; muros fecit et cloacas, receptaculum omnium purgamentorum Urbis; Capitolium inchoavit. Victis Sabinis, primus triumphans Urbem intravit.

Servius Tullius montes tres Urbi adiecit. Fossas circum muros duxit. Primus censum ordinavit.

Tarquinius Superbus, ultimus regum, templum Iovi in Capitolio aedificavit.

Post reges exactos, duo consules quotannis creati sunt.

Ite, pueri!

LUCIUS.—Salve, Sexte! Quo vadis?

SEXTUS.—In scholam eo.

LUCIUS.—Solusne is?

SEXTUS.—Non solus eo; ecce frater Publius mecum it. Una imus in scholam.

LUCIUS.—Etiamne parvulus Publius in scholam it?

SEXTUS.—Quinque abhinc menses parvulus in scholam it.

LUCIUS.—Itisne libenter in scholam?

SEXTUS.—Libenter in scholam imus.

LUCIUS.—Sinite me una vobiscum ire.

SENEX.—Ite, pueri, sic et vobis et parentibus et patriae proderitis.

De veste ac calceis

Togam cives Romani, quemadmodum pallium Graeci, gerebant.

Toga superimponebatur tunicae, quae brevior et adstrictior erat quam toga, cui supponebatur. Fibula in umeris colligebat et retinebat tunicam.

Toga erat pacis et otii insigne. Petitores honorum candidam togam in comittis induebant. Pulla toga in funeribus utebantur Romani.

Praetexta erat vestis qua pueri ad annum septemdecimum utebantur.

Latus clavus erat senatorum insigne, angustus vero equitum.

Matronae stolas usque ad talos demissas gerebant.

Rure aut per imbrem paenulam Romani induebant. Erat enim paenula villosa et crassa.

Viator pileum gerebat.

Graeci crepidis utebantur, calceis vero Romani.

Soccus comoedorum erat proprius, atque cothurnus tragoedorum.

Ecce nuptiarum dies adest!

MATER.—Ecce nuptiarum dies adest. Surge, mea filia!

FILIA.—Salve, mea mater!

MATER.—Hodie nubes, hodie a nobis dimitteris. Heri pupas, quibus luseras, Laribus dedicavisti.

FILIA.—Vobis, o Lares, salus mea adhuc comissa est. Vos mihi semper propitii fuistis. Nolo omnia amittere quae possedi. Nunc vobis flores spargam.

MATER.—Adeste, ancillae. Nunc novae nuptae ornandae tempus est.

AVIA.—Numquam femina pulchrior vidit diem ab oceano venientem.

MATER.—Indue albam tunicam. Ecce cingulum.

AVIA.—Cinge caput floribus. Flammeum cape.

PATER.—Iam propinqui advenerunt.

AVIA.—Coniunge, pronuba, dextras sponsi sponsaeque. Vos, sponsi, dona invicem tradite.

(Vespere, convivio nuptiali acto, instant propinqui).

PROPINQUI.—Ecce vesper adest. Prodeas, nova nupta.

PATER.—Tollite, pueri, faces. Ite, concinite Hymenaeum in modum.

Tabellae cereae

Scribebant veteres in tabellis cera illitis, aut in membranis.

Tabellae cereae, in quibus scribebatur, pugillares dicebantur, quod in pugno comprehendebantur. Plurium tabellarum contextus codex dicebatur. In tabellis scribebatur stilo seu graphio.

Stilus erat instrumentum ferreum, vel aeneum, vel argenteum, vel aureum.

Stili altera pars ad scribendum erat acuta, nam pungendo scribebatur; altera pars obtusa ad delendum. Inde «*vertere stilum*» erat delere aut expungere menda.

In membrana, aut in charta vel papyro scribebatur calamo et atramento. Ex arundine, praesertim Aegyptia, fiebant calami scriptorii.

Arctiores et minores libri, qui manu capi poterant, vulgo vocabantur: *Enchiridia*. Si vero maiores, *volumina* dicebantur, quia scripti erant in perpetua membrana circa bacillum involuta.

Libri scribebantur a librariis, vendebantur in tabernis librariis, et reponebantur in libraria vel bibliotheca.

Servus

Qui est matre serva, servus est.

Servus non est liber, libertate caret; grave est iugum servitutis; servire est contumelias et iniurias pati.

Vitae necisque potestatem erus in servos habebat.

Crudelium dominorum servi virgis caedebantur, aut in ergastula deiciebantur, aut cruci affigebantur. (Ergastulum erat locus, in quo deteriora mancipia in vinculis opus facere cogebantur).

Servum, quem amabant, domini boni manumittebant. Hactenus servus erat. Posthac fiebat libertus.

Iam incipit dies

DOMINUS.—Iam incipit dies. Satis est somni. Heus, Syre, ubi es? Num aufugisti?

SYRUS.—Adsum. Salve, domine!

DOMINUS.—Affer mihi tunicam et togam. Vos, pueri, perficite quae coepistis. Tu, Lyde, affer mihi panem, caseum, vinum.

LYDUS.—Faciam.

DOMINUS.—Hora tertia me in forum conferam. Vos fodite in horto et emite cibos. Postea cenam parate.

Hora sexta dominus domum redit.

DOMINUS.—Heus, Lide, confecisti mandata?

LYDUS.—Cibi sunt empti, domine.

DOMINUS.—Heus, Afer, paravisti cenam?

AFER.—Iam cena paratur.

DOMINUS.—Optime, culinae te praeficio. Ego nunc dormiendo me reficiam, postea ad balnea ibo.

SYRUS.—Est nobis licentia exeundi?

DOMINUS.—Ad gladiatores vobis ire licet. Sed adeste hora decima, nam convivae duodecima hora advenient.

Legio romana

In omni legione erant tria genera peditum: hastati, principes et triarii.

Hastati in prima acie stabant, principes in secunda, triarii seu pilani in tertia.

Singulorum autem generum erant manipuli decem in duos quisque ordines, vel centurias, divisi: unam priorem seu dextram, alteram sinistram.

Singulis centuriis centuriones praeerant. Centurio, qui priorem centuriam primi manipuli triariorum, primipilus dicebatur, vel primi pili centurio.—Hic omnes centuriones honore anteibat.

Viginti hastatorum et principum manipuli centum et viginti quisque militibus constabat. Decem vero manipuli triariorum sexagenis quisque militibus cons-

tabat. Sed post eos locabantur rorarii et accensi, utrique eodem numero.

Ceterum non eodem semper numero militum legio fuit.

A Mario etiam legio dividi coepta est in decem cohortes, cohors in tres manipulos, manipulus, ut ante, in duas centurias. Ita in legione semper sexaginta peditum centuriae cum totidem centurionibus fuerunt.

Quemadmodum pedestres copiae in cohortes et manipulos, ita equestres in turmas et decurias, distinguebantur. Turma vero continebat ter denos milites.

Miles gregarius simplex, centurio duplex, eques triplex stipendium accipiebat.

Legionarius et signifer

Videmus duo simulacra. Alterum est legionarii, alterum signiferi. Uter est signifer? Demonstra signiferum, amice!

—Hic est legionarius, ille signifer.

Ita est. Simulacra huius modi olim in sepulcris fuerunt; tituli, qui sub simulacris sunt, continent patriam mortuorum, numerum annorum, stipendia, gradum militiae. Compara haec simulacra. Huic viro scutum praesidio est, [1] illi scutum deest. Uterque gladio cinctus est, alter a sinistra, alter a dextra. Illud est signum, hoc pilum. Signa huius modi sunt manipulorum; coronis, lunis, aquilis aliisque rebus ornata sunt. Signa totius exercitus magnae aquilae erant. Iactura aquilarum et illorum signorum exercitui ignominiae erant. [2]

[1] A este guerrero le sirve el escudo de defensa.

[2] Esse alicui ignominiae (dat.), ser motivo de baldón para alguien. Construcción idéntica a esse alicui praesidio.



LEGIONARIUS ET SIGNIFER

Pugna

Rorarii et accensi, levissime armati, iaculis et fundis utebantur.

Deinde hastati pugnam inibant.

Ubi hastati profligare hostem non poterant, pede presso eos retrocedentes in intervalla ordinum principes recipiebant.

Tunc principum pugna erat, hastati sequebantur.

Triarii sub vexillis considebant, sinistro crure porrecto, scuta innixa humeris, hastas subrecta cuspide in terram fixas tenentes.

Si apud principes haud satis prospere erat pugnatum, a prima acie ad triarios sensim referebant.

Triarii consurgentes in intervalla ordinum suorum principes et hastatos recipiebant, et, iam nulla spe post relicta, in hostem incidebant.

Id erat formidolosissimum hosti, cum velut victos insecuti novam repente aciem insurgentem, auctam numero videbant. [1]

Io triumphe!

PUBLIUS.—Visne mecum triumpho Caesaris adesse?

SEXTUS.—Volo. Amplius viginti milia hostium, ut aiunt, interfecit.

PUBLIUS.—Festinemus. Iam pompa per Viam Sacram ad Capitolium procedit. Hac, ad sinistram.

SEXTUS.—Ecce multitudo vias et forum complet.

[1] Cuando entregados a su persecución como si se tratara de vencidos, veían de improviso aparecer una nueva formación más numerosa todavía.

PUBLIUS.—Aspice primum agmen! En senatus et magistratus! Quam nobiles viri!

SEXTUS.—Videsne praedam a militibus allatam? Quam uber et opima! Vix plaustra trahere valent.

PUBLIUS.—Ut omnia auro et argento splendent!

SEXTUS.—Audisne canentes? En, aspice captivos! Silentes eunt. Dolent quod patria et libertate carent.

PUBLIUS.—Io triumphe! Ecce imperator! Eminet inter ceteros. In curru stat purpura et corona ornatus. natus.

SEXTUS.—Ut dextra ramum laureum, sceptrum sinistra tenet!

PUBLIUS.—Salve, victor! Iam patet tibi in Capitolio templum summi dei.

SEXTUS.—Io triumphe! Ave, Caesar!

PUBLIUS.—Iuppiter qui tibi semper favit, te accipiet, tuque ei gratias ages!

Maecenas et Vergilius colloquuntur

Maec. Maxime delectatus sum, mi Publi, quod hodie me visitavisti. Brevi enim tempore aderit unus ex amicis meis quem te convenire iam diu cupio. Nomen ei est Quintus Horatius. Quamquam tuis dissimillima scribit, est poeta, mea quidem sententia optimus. Fortasse eius carmina tu quoque legisti?

Verg. Nihil ex eius operibus legi, sed ab amicis pulcherrima esse ea dicuntur. Hominem ipsum non vidi. Sed quem tu amicum tuum fecisti, is mihi felicissimus videtur. Nihil mihi pluris [1] est quam quod Maecenatis amicus vocor.

M. Ne Caesar quidem ipse mihi te carior est. Posteri nomen meum in memoria tenebunt, non quod dives et potens, sed quod Vergili poetae amicus sum. Sed ecce, Horatius intrat. Salve, Quinte!

Hor. Salvete vos quoque!

M. Mihi felicissimus esse videor, quod hodie poetas duo, tam claros, eodem tempore aedes meae accipiunt. Hic, Publi, est Horatius ille, de quo tibi multa dixi. Quinte, hic est Vergilius, cuius Eclogas ego et tu tam saepe simul legimus.

H. Gratissimum mihi est, Publi, quod te, quem convenire diu cupio, tandem ante oculos meos video. Nec minus gratum mihi est, quod in aedibus Maecenatis nostri, cui omnia debeo, convenimus.

V. Tu quoque huic omnia debes? Fundus meus, qui post bella civilia militibus veteranis datus erat, per hunc mihi restitutus est.

H. Ego non solum bona sed vitam ipsam Maecenati debeo. Nam in exercitu Bruti tribunus fui militum et Philippis inter Caesaris hostes pugnavi.

M. Satis a vobis sum laudatus. Iam cenabimus.

Hispania

Hispania, inter Africam et Galliam posita, Oceani freto et Pyrenaeis montibus clauditur, minor quidem utraque terra sed utraque fertilior.

Nam neque, ut Africa, violento sole torretur, neque, ut Galia, assiduis ventis fatigatur; sed, media inter utramque, tum temperato calore, tum felicibus et tempestivis imbribus, in omnia frugum genera fecunda est: itaque non ipsis tantum incolis, verum etiam Italiae urbique Romae cunctarum rerum abundantiam praebet.

Hinc enim non frumenti tantum magna copia est verum et vini, mellis oleique; nec summae tantum terrae laudanda bona sunt, verum et abstrusorum metallorum felices divitiae.



IMPERIUM ROMANUM

EXERCITATIONES

RESPONDE LATINE

Quis erat Iuppiter?

1 Quis erat Iuppiter?
2 Cuius Iuno fuit coniux?
3 Quae avis Iovi, quae Iunoni sacra erat?
4 Quod nomen erat Iovis fratribus?
5 Quibuscum Iuppiter mundi imperium divisit?
6 Ubinam Iuppiter regnabat? Ubi Neptunus? Ubi autem Pluto?

Quot manus tibi sunt?

1 Num sinistra est validior quam dextra?
2 Quis est validior manuum?
3 Suntne tibi in utraque manu sex digiti?
4 Num oculis tangis, prehendis, premis, tenes aliquid?
5 Quid facis ubi manum comprimis?

Anni tempora

1 Quot sunt anni tempora?
2 Quod nomen est eis?
3 Quomodo ver, aestatem, autumum vel hiemen cognosces?

4 Qui sunt anni menses?
5 Quis apud priscos romanos primus anni mensis erat? Quis secundus? Quis vero postremus?

Canis mordet

1 Num canis cornu ferit?
2 Quod animal aculeo pungit?
3 Quomodo asinus se defendit?
4 Quis rostro caedit? Quis unguibus et rostro?
5 Ut homines ante usum armorum certabant?

Quo colore est nix?

1 Estne nix atra?
2 Qui color est carboni?
3 Num cycnus niger est?
4 Estne corvus candidus?
5 Quo colore est sanguis? Quo vero rosa et vinum?
6 Vidistine umquam leonem? Qui color est leoni, fulvus an flavus?
7 Estne aurum flavum? Num Ceres fulva erat?
8 Nonne herba viridis est?
9 Quo colore est caelum?
10 Scisne qui color mari sit?

Quis erat Mars?

1 Quod nomen erat belli deo?
2 Quis erat Bellona?
3 Num Apollo deus ignis erat?
4 Quis Vulcani coniux fuis?

5 Utrum mare an silvas Diana incolebat?
6 Quis fuit sapientiae dea? Quam urbem magnopere diligebat?
7 Nonne Minerva Athenienses oliva donavit?
8 Eratne Apollo deorum nuntius?
9 Qui deus eloquentiae, lucro, mercatoribus et furibus praeerat?

Mane sol oritur

Latinum verbum insere
vacuo cuiusque sententiae loco

1 Mane —— oritur in Oriente.
2 Sol supra capita nostra —— lucet.
3 In Occidente sol ..... occidit.
4 Interdiu ——, noctu —— et —— terram collustrant.
5 In duodecim horas romani —— dividebant.
6 Hieme dies ——, aestate —— sunt.
7 Breviores igitur horae —— quam horae —— erant.
8 Prima hora —— oriente sole.
9 Meridies sexta ———— erat.
10 In quattuor vigilias —— nox; occidente sole —— incipiebat.

PARS ALTERA

PARS ALTERA

De vero amico

Arabs moriturus, vocato filio suo, dixit ei: «Dic, fili, quot tibi, dum vixisti, acquisieris amicos?» Respondit filius et dixit: «Centum, ut arbitror, acquisivi mihi amicos». Dixit pater: «Philosophus dicit: Ne laudes amicum tuum, donec probaveris eum. Ego quidem prior natus sum, et unius dimidietatem vix mihi acquisivi. Tu autem centum quoniam acquisivisti, fili mi, vade igitur probare omnes, ut cognoscas si quis omnium tibi sit perfectus amicus».

Dicit ei filius: «Quomodo probare consulis?» Dixit pater: «Accipe vitulum, et interfice eum, et frustatim comminutum in sacco repone, ita ut saccus forinsecus sanguine infectus sit, et cum ad amicum veneris, dic ei: Hominem, care mi frater, forte interfeci, et domus mea scrutari debet. Oportet igitur ipsum sepeliri et abscondi. Rogo te ut eum secreto sepelias; nemo enim te suspectum habebit, sicque me salvare poteris».

Filius fecit sicut pater imperavit. Primus amicus ad quem venit dixit ei: «Fer tecum mortuum tuum super collum tuum, sicut fecisti malum, patere satisfactionem, in domum meam non introibis». Cum autem per singulos amicos suos ita fecisset, eodem responso

omnes ei responderunt. Ad patrem igitur rediens nuntiavit quod fecerat. Dixitque pater: «Contigit tibi quod dixit philosophus: «Multi sunt dum numerantur amici, sed in necessitate pauci». Vade ad dimidium amicum meum quem habeo, et vide quid dicat tibi».

Venit, et sicut aliis dixerat huic ait, qui respondit: «Intra domum, non est hoc secretum quod vicinis debeat propalari». Emissa igitur uxore sua cum omni familia sua, sepulturam fodit. Cum autem omnia videret parata, rem prout erat disseruit, gratias agens. Deinde patri retulit quae fecerat. Pater vero ait: «Pro tali amico philosopus ait: «Hic est vere amicus qui te adiuvat, cum mundus tibi deficit».

Canis per fluvium carnem ferens

Amíttit merito próprium qui alienum áppetit.
Canís per flumen cárnem cum ferrét natans,
Lymphárum in speculo vídit simulacrúm suum,
Aliámque praedam ab áltero ferrí putans
Erípere voluit: vérum decepta áviditas
Et qúem tenebat óre, dimisít cibum,
Nec quém petebat pótuit adeo attíngere.

Fabulator et rex

Rex quidam habuit fabulatorem suum, qui singulis noctibus quinque sibi narrare fabulas consueverat. Contigit tandem quod rex curis quibusdam sollicitus minime posset dormire, pluresque solito quaesivit audire fabulas. Ille autem tres super haec enarravit sed parvas. Quaesivit rex etiam plures. Ille vero nullatenus voluit. Dixerat enim iam sicut iussum fuerat sibi multas. Ad haec rex: «Plurimas iam narrasti sed brevissimas, vellem vero te aliquam rem narrare, quae multis producatur verbis, et sic te dormire permittam.» Concessit fabulator, et sic incepit:

«Erat quidam rusticus, qui mille solidos habuit. Hic autem in negotiatione proficiscens comparavit bis mille oves. Accidit eo redeunte quod magna inundatio aquarum succresceret. Qui cum neque per vadum neque per pontem transire posset, abiit sollicitus quaerens quo cum ovibus suis transvehi posset. Invenit tandem exiguam naviculam, et necessitate coactus duas oves imponens aquam transiit.»

His dictis fabulator obdormivit. Rex quidem illum excitans, ut fabulam quam inceperat finiret commonuit. Fabulator ad haec:

«Fluctus ille magnus est, navicula autem parva, et grex ovium inumerabilis. Permitte ergo supradictum rusticum suas transferre oves, et quam incepi fabulam ad finem perducam.»

De invidia mulctata

Venit quidam ioculator ad regem, quem vocatum rex cum alio ioculatore fecit sedere atque comedere. Sed qui prius venerat ioculator coepit invidere supervenienti, quem rex sibi iam praeferebat, et omnes aulitae. Quod ne duraret, pudorem illi facere, ut sic saltem effugeret, cogitavit. Itaque nescientibus aliis ossa latenter primus ioculator coordinavit, et ante socium posuit.

Finitoque prandio in opprobrium socii coniectam struem ossium regi ostendit, et mordaciter inquit: «Domine! Socius meus omnium ossium vestituram comedit!» Rex vero torvis oculis respexit ad eum. Accusatus autem regi ait: «Domine! Feci quod natura humana requirebat. Carnes comedi, et ossa dimisi. Socius vero meus fecit quod canina scilicet requirebat natura, quia comedit carnes et ossa.»

Misericordia nociva

Qui fért malis auxílium, post tempús dolet.
Gelú rigentem quídam colúbram sústulit
Sinúque fovit, cóntra se ipsum mísericors;
Namque út refecta est, nécuit hominem prótinus.
Hanc ália cum rogáret causam fácinoris,
Respóndit: Ne quis díscat prodesse ímprobis.

Rusticus et avis

Quidam homo habuit virgultum, in quo rivulis fluentibus herba viridis erat, et pro habilitate loci conveniebant ibi volucres, modulamine vocum cantus diversos exercentes. Quadam die, dum idem vir in suo fatigatus quiesceret pomerio, quaedam avicula super arborem cantando delectabiliter consedit. Quam ut vidit et eius cantum audivit, deceptam laqueo sumsit.

Ad quem avis ait: «Cur tantum laborasti ut me caperes? Vel quid proficuum in mea captione speravisti habere?» Ad haec homo: «Solos cantus tuos audire desidero.» Cui avis: «Nihil tibi prodest, quia retenta nec prece nec pretio cantabo.» At ille: «Nisi cantaveris, te comedam.» Et avis: «Quomodo comedes? Si comederis coctam in aqua, quid avis valebit tam parva? Et etiam caro erit hispida, et si assata ero, multo minor fuero. Sed si abire me permiseris, magnam utilitatem ex me consequeris.»

At ille respondit: «Quam utilitatem?» Avis: «Ostendam tibi tria sapientiae consilia, quae maioris pretii facies quam trium vitulorum carnes.» At ille securus promissis avem permisit abire. Cui avis: «Unum est de promissis: Ne credas omnibus promissis vel dictis. Secundum est: Quod tuum est habe semper, si potes. Tertium est: Ne doleas de amissis.»

Hoc dicto avicula arborem ascendit, et dulci canore dicere coepit: «Benedictus Deus, qui tuorum aciem oculorum clausit, et sapientiam tibi abstulit; quoniam si intestinorum plicas meorum perquisisses, unius unciae hyacinthum invenisses.»

Haec audiens ille coepit flere et palmis pectus percutere, quoniam dictis fidem praebuerat aviculae. At avis ait illi: «Cito oblitus es sensus, quem dixi tibi. Nonne dixi tibi: Ne cito credas quicquid dicetur? Quomodo credis, quod in me sit hyacinthus qui sit ponderis unius unciae, cum ego tota non sim tanti ponderis? Et dixi tibi: Ne doleas de rebus amissis; quare pro hyacintho, qui in me est, doles?»

Talibus dictis et rustico deriso, avis in nemoris avia devolavit.

Vacca, Capella, Ovis et Leo

Nunquám est fidelis cúm potente sócietas:
Testátur haec fabélla propositúm meum.
Vacca ét capella et pátiens ovis iniúria
Socií fuere cúm leone in sáltibus.
Hi cúm cepissent cérvum vasti córporis,
Sic ést locutus pártibus factís leo:
Ego primam tollo nominor quoniam leo
Secúndam, quia sum fórtis, tribuetís mihi;
Tum, quía plus valeo, mé sequetur tértia;
Malo ádficietur, síquis quartam tétigerit.
Sic tótam praedam sólo improbitas ábstulit.

De latrone deriso

Quidam latro ad domum cuiusdam divitis perrexit intentione furandi, et ascendens tectum, ad fenestram per quam fumus exibat, si aliquis intus vigilaret, auscultavit. Quod ut dominus domus comperit, suaviter suae uxori ait: «Interroga alta voce unde venit mihi iste tam magnus census quem habeo; quam ut rem scias, multum labora.»

Tunc ipsa alta voce ait: «Domine, unde tam magnum censum habes, cum numquam mercator fueris?» At ille: «Quod Deus donavit hoc serva, et fac inde voluntatem tuam, et non inquiras unde mihi tanta pecunia evenerit.» At ipsa, ut sibi praeceptum fuerat, magis et magis ut rem sciret instigavit. Demum, quasi coactus precibus uxori suae ait dominus: «Vide ne cuiquam secreta nostra detegas. Latro fui.»

At ipsa ait: «Mirum mihi videtur quomodo tam magnum censum latrocinio acquirere potuisti, quod numquam audivimus clamorem sive aliquam calumniam inde.»

At ipse ait: «Quidam magister meus carmen me edocuit, quod dicebam quando super tectum ascendebam, et veniens ad fenestram accipiebam radium lunae manu, et carmen meum septies dicebam, scilicet: Saulem! Et ita descendebam sine periculo, et quicquid pretiosum inveni in domo corradens sumebam. Hoc facto, iterum ad radium lunae veniebam, et eodem carmine dicto septies cum omnibus in domo sumptis ascendebam, et quod sustuleram ad hospitium deferebam. Tali ingenio hunc quem possideo censum habeo.»

At mulier ait: «Bene fecisti quod mihi talia dixisti,

nam quandoque fiilium habuero, ne pauper degat, hoc carmen docebo.» At dominus inquit: «Permitte me dormire, quoniam somno aggravatus volo quiescere.» Et ut magis deciperet quasi dormiens stertere coepit. Perceptis denique talibus verbis, fur inde gavisus, et dicto septies carmine, et sumpto manu radio lunae, laxatis manibus et pedibus per fenestram in domum, faciens sonum magnum, decidit; et fracto crure et brachio ingemuit.

At dominus domus quasi nesciens ait: «Tu quis es, qui ita cecidisti?» Ad hoc latro: «Ego sum ille infelix fur, qui tuis credidi fallacibus verbis.»

Pullus ad Margaritam

In stérquilino púllus gallináceus
Dum quáerit escam, márgaritam répperit.
Iacés indigno quánta res inquít, loco!
Hoc sí quis pretii cúpidus vidissét tui,
Olím redisses ád splendorem prístinum,
Ego quód te inveni, pótior cui multo ést cibus,
Nec tíbi prodesse néc mihi quidquám potest.
Hoc íllis narro, quí me non intéllegunt.

Dolus mercatoris

Fuit quidam pauper mercator in quadam terra, qui habebat mille libras ferri, et, cum vellet ire ad aliam terram, deposuit ferrum apud quemdam notum suum ut sibi conservaret et abiit.

Cumque rediret post tempus, petiit ferrum ab amico suo. Cui respondit: «Posui ferrum tuum in uno angulorum domus et comederunt illud mures.» Ipse vero vendiderat et comederat pretium eius.

Et ait mercator: «Numquam audivimus esse in mundo animal quod frangeret ferrum, et modo comederunt mures illud; nunc autem nihil reputo illud ex quo Deus liberavit te ab eis et non offenderunt te.» At ille gavisus est de verbo quod audivit ab eo, rogavitque illum ut comederet secum illa die, et statuit sibi terminum reveniendi ad eum.

Postquam vero recessit ab eo mercator cogitavit argumentum ut caperet sibi filium suum. Qui cum furatus esset eum, abscondit in domo cuiusdam; et cum rediret ad eum, dixit ille qui amiserat filium: «Vidistine filium meum?» Cui respondit: «Alia die prope tuam domum vidi avem, quae rapuit unum puerum; nescio tamen utrum fuit filius tuus». Ille vero cum audiret, clamavit et dixit hominibus qui erant ibi: «Audivistis umquam tale, quod aves rapiunt pueros?» Et respondens mercator dixit: «Ita est; in terra cuius mures comedunt mille libras ferri, dignum est ut eius aves rapiant pueros».

Ille vero cum audiret hoc verbum, confessus est ei abstulisse ferrum suum. Et ait ei: «Restitue mihi filium meum, et ego restituam tibi ferrum tuum». At ille restituit sibi filium, et ille ferrum.

Sanctus Christophorus

Christophorus, gente Cananaeus, procerissimae staturae voltuque terribili fuit. Cum stipendium sub quodam rege Cananaeorum mereret, venit ei in mentem maximum mundi regem quaerere, cui serviret.

Cum frustra diu quaesisset, ubi potentissimus ille rex esset, tamdem ad quemdam eremitam venit. Hic ei Christum praedicavit diligenterque eum in fide Christi instruxit. Dixitque eremita Christophoro: «Rex, cui servire cupis, hoc a te requirit obsequium, ut frequenter ieiunes». Cui Christophorus: «Aliud a me requirat obsequium necesse est, quia istud nequaquam agere valeo». Rursus eremita: «Oportebit ut orationibus multis eum tibi gratum facias». Cui Christophorus: «Nescio», inquit, «quid sit orare; nec huiusmodi obsequium praestare potero». Tunc eremita: «Cum valido corpore», inquit, «et magna statura sis, ad fluvium illum conside et omnes qui flumen transire velint, umeris tuis transporta».

»Hoc modo Christo optime servies, et spero eum ibidem manifesto esse appariturum». Cui praecepto obsecutus Christophorus ad fluvium accessit ibique sede collocata omnes baculo nixus undas transferebat.

Multis diebus post cum in casa sua acquiesceret, audivit vocem pueri cuiusdam vocantis et dicentis: «Christophore, excede ut me ipsum traducas!» Excitatus Christophorus exsiluit, sed neminem repperit. Reversus autem in casam iterum voces clamantis audivit. Rursus cum excurreret, neminem invenit. Tertium eadem voce evocatus puerum quemdam ad ripam fluminis invenit, qui Christophorum, ut se traduceret, rogavit. Christophorus igitur, postquam puerum in

SANCTUS CHRISTOPHORUS

umeris imposuit, baculo sumpto flumen transire coepit. Aqua autem fluminis paulatim intumescebat, et puer ut plumbum umeros gravissime premebat. Quanto longius procedebat, tanto magis unda crescebat, et puer magis magisque Christophori umeros pondere intolerabili deprimebat, ita ut aegre ad alteram ripam perveniret.

Tandem, cum evassiset, puerum in ripa deposuit et «In magnum», inquit, «periculum me adduxisti et pressisti, quasi totum mundum umeris portarem». Sed puer «Ne mireris», inquid, «Christophore! Non enim solum totum mundum portavisti, sed etiam illum qui mundum creavit. Ego enim sum rex Christus tuus, cui in hoc opere ipse servis; sed ut me verum dicere comprobes, baculuum tuum iuxta casam tuam in terra fige, et mane eum florentem videbis!» Quo dicto ex oculis eius evanuit. Christophorus autem, cum baculum suum in terra fixisset, postridie surgens eum frondentem invenit.

De Vulpe ad Uvam

Famé coacta vúlpes alta in vínea
Uvam ádpetebat súmmis saliens víribus:
Quam tángere ut non pótuit, discendéns ait:
Nundúm matura est; nólo acerbam súmere.
Qui facere quae non possum verbis elevant,
Adscríbere hoc debébunt exemplúm sibi.

Pastor et aper

Quidam imperator erat, qui quamdam forestam habebat, in qua erat aper strennuus, crudelis adeo ut omnes intrantes occideret. Imperator, multum de hoc contristatus, fecit proclamari per totum imperium quod, si quis aprum occideret, filiam suam unicam cum toto regno post eius decessum haberet. Facta proclamatione non est inventus unus, qui de hac re vellet se intromittere.

Erat tunc quidam pastor ovium de vili sanguine productus, qui intra se cogitabat: «Si aprum possem occidere, non tantum ego promotus essem, sed omnes de meo sanguine». Accepit baculum pastoralem et forestam intravit.

Aper, cum eum vidisset toto conamine in eum irruit. Ille vero arborem ascendit. Aper vero incepit arborem corrodere, adeo ut videretur pastori quod arbor cito caderet. In arbore autem erat copia fructus. Pastor de fructu collegit et ad aprum proiecit; aper vero comedit. Pastor continue proioecit, ita quod aper est repletus et ad terram iacuit. Hoc percipiens pastor paulatim descendit et cum una manu aprum scalpebat, cum alia se per arborem tenuit. Pastor aprum adeo scalpebat ut dormire inciperet. Hoc videns pastor raptim cultellum extraxit et aprum occidit. Et filiam imperatoris desponsavit et post eius mortem rex est factus.

Solvenda iniuria

Quidam Romanorum rex, dum aliquando contra hostes, qui iam maximam regni sui partem occupaverant, cum exercitu pergeret, contigit, ut per quemdam transiret viculum. Habebat ibi vidua quaedam pauper cum filio unico domumculam, unam tantum de cunctis quae in mundo moventur gallinulam possidens.

Transeunte autem ante huius domum exercitu, regis filius adolescentulus accipitrem, quem nobilium more manu gestabat, ad gallinam viduae iecit, qui dum recurvis unguibus miseram suffocaret, viduae filius aviculae succurrere volens accurrit accipitremque fuste percussum occidit. Ob hoc regis filius indignatus vehementerque furens, in ultione accipitris viduae filium transverberat et abscedit.

Quid ergo vidua pauper ageret, filio unico et possessiuncula destituta? Cucurrit concita post regem, assecutumque lacrimis, voce, singultibus rogat, quatenus filium suum iniuste occisum vindicaret. Rex vero, ut erat mansueti miserantisque affectus animi, gradum figens viduam blande leniterque ammonet, ut reditum eius de hostibus sustineret: «Tunc, inquiens, filium tuum ut volueris vindicabo».

At vidua: «Et quid fiet, ait, si in bello occideris, quis filium vindicabit?» «Mando, ait, pro te ei, qui mihi in regno succedet». Et illa: «Et quam, ait, mercedem accipies, si alius eum vindicaverit, qui te vivente, te regnante, occisus est?» «Nullam», inquit. At vidua: «Ergo tu ipse fac, quod alii praecepturus es, ut inde laudem ab hominibus, et a diis praemium consequaris.»

Motus rex tam ratione viduae, quam etiam misericordia, dilato iterum bello ad urbem regreditur. Cog-

nito autem, quod filius suus filii viduae esset interfector: «Gallina, ait, tua satis, ut puto, mortuo accipitre compensata est. Ceterum pro filio interfecto de duobus optionem do tibi. Aut enim, si velis, filium interficiam, aut, si eum vivere melius decreveris, do eum tibi loco mortui, ut te colat ut matrem, adoret ut reginam, timeat ut dominam, serviatque tibi cunctis vitae diebus».

Illa vero utilius sibi fore iudicans regis filium vivere, quam mori, pro mortuo illum suscepit, translataque est de tugurio ad palatium, panniculos et simecintia vestibus murice tinctis commutans. Rex autem post haec contra hostes profectus est pugnaturus.

De vitiis hominum

Perás imposuit Iúppiter nobís duas:
Propriís repletam vítiis post tergúm dedit,
Aliénis ante péctus suspendít gravem.
Hac ré videre nóstra mala non póssumus;
Alií simul delínquunt, censorés sumus.

De fure et daemone

Eremita quidam fuit cui data est vacca una, et cum duceret eam ad domum suam, quidam fur vidit illam et furandi curam adhibuit. Ibat autem fur post eum usque ad domum eremitae, et cum esset in via obviavit ei daemon in figura hominis.

Cui dixit fur: «Quis es tu, aut quid intendis?» At ille respondit: «Ego quidem sum daemon et intendo nocte ista suffocare eremitam, et nunc sequor eum donec homines sunt in sommo; tunc exurgam contra ipsum et interficiam eum». Et ait ei fur: «Ego similiter intendo ire ad domum suam et furari vaccam suam».

Et euntes iverunt pariter ad domum eremitae. Ingrediens autem eremita domum introduxit vaccam et comedit et intravit cubiculum ad dormiendum. Et cogitans fur dixit in corde suo: «Dubito ne forte quando accedens hic daemon ad suffocandum eremitam, clamabit ipse et succurrent ei homines et non potero capere vaccam, sed me videntes capient et interficient me».

Dixit ergo fur daemoni: «Sile parum, et dimitte me capere vaccam prius quam tuam adimplebis voluntatem.» Cui respondit daemon: «Nequaquam hoc faciam, sed prius ipsum volo interficere et postea facies quod intendis.»

At ille dicebat: «Nequaquam, sed ego incipiam.» Et orta discordia inter ipsos fortiter, inceperunt pugnare et rixari invicem donec fur vocaret eremitam, dicens ei: «Surge, quia iste daemon vult te suffocare.» Et excitato eremita fugerunt fur et daemon, et sic evasit eremita a periculo mortis.

Serpens et homo

Transiens quidam per silvam invenit serpentem a pastoribus exstrictum et stipitibus alligatum, quem mox solutum calefacere curavit. Calefactus serpens circa foventem serpere coepit, et tandem ligatum graviter strinxit. Tunc homo: «Quid, inquit, facis? Cur malum pro bono reddis?» Et haec serpens: «Naturam meam facio». «Bonum, ait ille, tibi feci, et illud malo mihi reddis?»

Illis vero sic contendentibus vocata est inter eos ad iudicium vulpes, cui totum ut evenerat ex ordine monstratum est. Tunc vulpes: «De hac causa per auditum iudicare ignoro, nisi qualiter inter vos primum fuerit ad oculum video». Religatur igitur serpens ut prius. Modo inquit vulpes: «O serpens, si potes evadere discede; tu homo, de solvendo serpente noli laborare. Nonne legisti: Qui pendulum solverit, sûper eum ruina erit?»

Taurus et Vitulus

Angústo in aditu taúrus luctans córnibus
Cum víx intrare pósset ad praesépia,
Monstrábat vitulus quó se pacto flécteret.
Tace, ínquit, ante hoc nóvi quam tu nátus es.
Qui dóctiorem eméndat, sibi dicí putet.

De leone et lepore

Quidam fuit leo in quadam silva multarum ferarum et equarum, nec hoc illis feris quidquam proderat propter timorem leonis, qui omni die rapiebat de illis et devorabat. Et habito consilio inter se venerunt ad ipsum dicentes ei:

«Scito quoniam non potes habere a nobis animal nisi cum labore maximo et strepitu venationis; nunc autem invenimus modum utilem pro te et nobis, quoniam si redderis nos tranquilos et securos a timore tui nec insidiaberis nobis, omni die offeremus tibi sponte in hora cibi unam bestiam de nobis pro tuo cibo». Quod quidem placuit leoni, et promisit eis pactum observare.

Quadam vero die, cum sortem eiecissent inter eas quam ipsarum deberent offerre leoni, advenit sors cuidam lepori, cui praeceperunt leoni se offerre. Dixit eis lepus:

«Si volueritis mihi consentire et confidere de me in re quae nobis erit utilis, spero vos reddere securos et quietos a turbatione leonis». Cui responderunt: «Quid est illud? quid vis fiat tibi?» Et ait eis lepus: «Quid est? volo quod uni vestrum praecipiatis venire mecum ad leonem et non festinet me praesentare sibi, donec praetereat hora cibi». Cui dicunt: «Volumus fiat tibi».

Et exurgens lepus cum socio suo, ivit ad leonem et retardavit praesentare se sibi, donec hora cibi praeteriit. Et esuriens leo surrexit de loco suo, et respiciens secus viam vidit quemdam leporem accedentem ad ipsum. Cumque praesentasset se sibi, interrogavit illum unde veniret et ubi esset turba sociorum suorum et cur tandum tardaverint. Cui respondit lepus:

«Ego ab eis venio, mittebant autem tibi per me unum leporem ut ipsum tibi presentarem; sed cum essem prope hunc locum, ecce supervenit mihi alius leo et rapuit ipsum mihi. Cui ego dicebam: «Cave, quoniam est cibus regis qui offertur et noli ipsum contra te provocare». Quae cum audiret, sprevit te, dicens: «Ego sum dignior ipso regnare in hoc loco». Veni igitur ad referendum tibi.

Et audiens leo dixit: «Veni mecum et ostende mihi ipsum». Et ivit lepus ducens ipsum ad puteum aquae. Erat autem aqua clara. Et dixit lepus: «Hic manebat ille leo de quo tibi dixi». Et respiciens leo ad fontem putei, inspexit umbram suam et leporis; corruit super ipsum in puteo, credens pugnare cum eo. Qui mortuus est ibi. Et rediens lepus ad socios suos, narravit eis omnia quae fecerat; qui laudaverunt calliditatem eius.

Vulpes ad Personam tragicam

Persónam tragicam fórte vulpes víderat:
O quánta species, ínquit, cerebrum nón habet!
Hoc íllis dictum est, quíbus honorem et glóriam
Fortúna tribuit, sénsum communem ábstulit.

De fidelitate canis

Miles quidam erat, strennus valde, qui tantum unicum filium habebat, sicut vos habetis; sed erat infans. Tantum istum infantem dilexit, quod tres nutrices pro pueri custodia ordinavit: prima nutrix, ut eum aleret; secunda, ut eum a sordibus lavaret; tertia, ut eum ad dormiendum alliceret.

Post puerum istum duo habebat, quae miro modo dilexit, canem leporarium optimum et unum falconem. Leporarius iste, quotiens ad aliquam bestiam cucurrit, praedam tenuit quousque dominus eius venit. Et si dominus eius ad bellum debuit accedere et in bello expedire, tres saltus vel quattuor ante dominum suum fecit, quando equum suum ascendere volebat. Si vero non expediret in bello, leporarius statim, cum dominus eius ascenderet, caudam equi tenuit ac eiulatus emisit. Per ista duo signa miles erat expertus, quando expediret vel quando in vanum equitaret. Falconem dilexit, eo quod, quotiens ad praedam volavit, non defecit.

Miles iste miro modo hastiludia ac torneamenta dilexit, unde semel unum torneamentum sub castro suo proclamari fecerat. Ad quod torneamentum multi nobiles venerunt. Miles armavit se, foras exivit, domina post illum et omnes de familia. Nutrices vero puerum solum in cunabulo dimiserunt, ita quod nullus in aula erat relictus nisi puer in cunabulo. Leporarius iuxta parietem erat iacens et falco in pertica.

Erat quidam serpens a multo tempore omnibus ignorantibus in quodam foramine castri nutritus, qui, cum exitum euntium audisset de aula ad torneamentum, caput suum extendit extra foramen. Neminem

videns nisi puerum in cunabulo iacentem exivit versus cunabulum, ut puerum occideret. Falco hoc percipiens respexit ad leporarium videnque illum dormire sonitum cum alis suis fecerat, ac si diceret: «Surge a somno et adiuva puerum in cunabulo contra serpentem!»

Leporarius vero, cum sonitum alarum audisset, a somno suo est expergefactus. Vidit serpentem versus cunabulum pergere, contra eum accessit; ambo pugnaverunt, serpens ut puerum occideret, leporarius ut vitam pueri salvaret. Dum vero sic pugnassent, serpens leporarium momordit, quod sanguis ab eo exiit in magna copia, ita quod tota superficies terrae in circuitu cunabuli plena sanguine erat leporarii. Leporarius, cum sensit se ipsum graviter vulneratum esse, cum toto impetu in serpentem insiluit, in tantum quod inter eos versum est cunabulum. Tamen cunabulum IV longos pedes habebat, quod facies pueri terram non tetigit. Tandem leporarius serpentem occidit. Hoc ipso viso iuxta murum iacebat et vulnera sua lambebat.

Post hos ludus torneamenti erat finitus et nutrices primo intrabant. Cum vero cunabulum eversum viderunt et terram in circuitu sanguinolentam et leporarium cruentatum, credebant inter se et dixerunt quod leporarius puerum occidisset; nec fuerunt ita prudentes, ut cunabulum verterent et quid actum esset de puero viderent, sed dixerunt: «Fugiamus, ne dominus noster nobis culpam imponat et nos interficiat!»

Cum vero essent in fuga, domina eis obviavit et ait: «Carissimae, quo tenditis?» At illae: «O domina, heu nobis et vobis! Leporarius, quem tantum diligit dominus noster, filium vestrum occidit et ibi iuxta murum satiatus de sanguine pueri iacet. Et tota superficies terrae in circuitu cunabuli de sanguine puer est plena». Domina, cum hoc audisset, ad terram cecidit

clamans ac eiulans et dicens: «Heu mihi, heu! quid faciam! Orbata sum unico filio meo».

Dominus vero de ludo venit et, cum sic clamaret, diligenter quaesivit causam clamoris. At illa: «O domine, heu nobis duobus! Leporarius tuus, quem tantum diligis, unicum filium nostrum occidit et ibi iuxta murum satiatus de sanguine pueri iacet». Miles vero commotus est valde; aulam intravit.

Leporarius, cum dominum suum vidisset, surrexit, ut potuit, et applausum domino suo fecit. Miles vero gladium extraxit et caput leporarii uno ictu amputavit. Hoc facto perrexit ad cunabulum, evertit et puerum sanum invenit. Iuxta cunabulum corpus serpentis mortuum vidit, unde per certa signa cognovit quod leporarius ob defensionem pueri serpentem occidit.

Tunc clamore valido et fletu scissis crinibus clamavit: «Heu mihi, heu! Propter verbum uxoris meae leporarium meum optimum occidi, qui vitam pueri mei salvavit et serpentem occidit». Heu mihi, heu! A me ipso paenitentiam accipiam». Fregit lanceam suam in III partes et nudis pedibus ad terram sanctam perrexit, ubi toto tempore vitae suae vixit.

PARS TERTIA

PARS TERTIA

Lucius

Ego de me ipso, de parentibus, de fratre, de sororibus, de amicis, de omni mea vita sum tibi narraturus. Romanus sum puer, annos natus duodecim. Nomina nostra ignoras; scio te ignorare; nemo enim tibi dixit. Nomina igitur sine mora dicam. Primum de patre. Ille appellatur Sextus Cornelius Pollio. Sextus ipsum designat, Cornelius gentem,[1] Pollio familiam. Itaque haec habet tria, praenomen, nomen, cognomen. Nunc de matre dicam. Illa nominatur Terentia. Fratri praenomen est Gaius; sorores appellantur Prima, Secunda, Tertia. Ego autem apellor Lucius.

Quas res tu cottidie facis, eas ego quoque facio. E lectulo surgo, patrem, matrem, fratrem, sorores salvere iubeo, edo, ludo adsum, ludo. In ludo tamen—mirabile dictu—non ludo sed disco. Magister enim, qui maxime est severus, neque me sinit ludere neque ceteros

[1] Designaba la *gens* el conjunto de familias descendientes de un antepasado común cuyo nombre ostentaban; los miembros de una misma *gens* se llamaban *gentiles* y estaban ligados entre sí por fuertes vínculos y recíprocos deberes. La *gens Cornelia* a que Lucio pertenecía era en Roma del más ilustre abolengo. El *cognomen*, equivalente a nuestro segundo apellido, distinguía a cada una de las familias de la misma *gens*.

pueros. Si ludimus, poenas damus.[1] Heu! quanta severitate puniat! Rogasne quid in ludo faciamus? Scribimus, recitamus, poetas legimus. Rogasne quos legamus poetas? Ego dicam dum tu discis. Horati, Vergili, Terenti legimus omnia opera. Quales hi fuerint, et quando vixerint, aliquando fortasse disces. Post ludum domum redeo. Ut gaudeo, ut gaudemus omnes, quotiens e ludo altero eximus et alterum ludum petimus! Altero enim in ludo, ut iam dixi, discimus; alter ludus etiam lusus nominatur.

Qui simus, mi amice, iam novisti; quales simus[2] partim scis, partis nescis; ubi habitemus omnino ignoras. Heu! multa, immo vero plurima vel omnia ignoras. Opus longum mihi est propositum, immo vero longissimum. Dicam enim de Italia, de Brundisio, de Roma, de aliis terris urbibusque, de militibus nostris, de magistratibus, de principe, de cibo, de vestimentis, de aedificiis, de omnibus rebus homnibusque.

Pater meus est Brundisinus; nam Brundisii habitat. Magistratum tenet ille, nam Brundisium est municipium in quo duo sunt magistratus, qui duumviri nominantur. Pater igitur meus summo est honore apud cives Brundisinos.

Sed fortasse negas te scire ubi sit municipium Brundisium. Itaque iubeo te spectare tabulam; si spectabis, videbis ubi stet municipium. Nonne vides? Ecce in ultimo stat angulo Italiae, ad orientem versum. Oriens ea est regio ubi oritur sol; occidens ea est regio ubi sol occidit in oceanum; meridies ea ad quam sol media hora diei vertitur; septentrio vel septentriones ita nominatur, quod in ea parte caeli septem sidera conspiciuntur, quae septem triones vocantur, hoc est, sep-

1 *Dare poenas*, recibir castigo, ser castigado.

2 *Qui simus*, quiénes somos; *quales simus*, cómo somos, qué cualidades tenemos

DOMUS



1. Ianua. 2. Vestibulum. 3. Atrium. 4. Impluvium.
5. Ara. 6. Cellae vel Cubicula. 7. Tablinum. 8. Fauces.
9. Peristylium. 10. Triclinium.

tem boves. Nonnulli autem ursam appellant hoc signum.

Sed regionibus caeli relictis ad oppidum revertimus in quo habitamus ego et pater et mater et ceteri. Domus nostra in via maxima est sita, in qua via habitant cives nobiliores. Domum intras per ianuam, quae semper stat clausa nisi quis intrat. Si vis intrare, ianuam pultas. Quo facto ecce venit ianitor (is ianuam intus custodit) et ianuam reserat. Ianua reserata in vestibulum imus, deinde in atrium; sic enim nominatur aula. Medio in atrio est stagnum, impluvium nominatum, in quod pluviae cadunt et stagnum faciunt. Super impluvium nullum tectum est, sed spatium apertum quod compluvium vocant. Prope stagnum est ara; prope aram stant Lares.

In atrio nos omnes diem agimus. At dormimus in cellis, quae multae sunt circum atrium aedificatae. Servi tamen ante portas cellarum dormiunt.

Post atrium est tablinum, quod est privatum patris conclave. Sunt autem binae fauces, alterae ex dextra, alterae ex sinistra, per quas in apertum aliquod spatium itur quod peristylium nominatur. Circum hoc peristylium alterae sunt cellae. Postremo est aliud conclave adiunctum, triclinium quod vocant; hic cenamus.

Nunc responde mihi de domo interroganti: — dic mihi per quid domum intres. Cur sedet ianitor in cella? Cur ianuam pultas? Num ignoras? O puerum immemorem! Si ignoras, ego pro te respondebo. Sed iubeo te attento esse animo, ut discas omnia. Per ianuam intras domum; in cella sedet ianitor ut iuanuam custodiat; pultas ianuam ut ianitor ianuam reseret. Tu iam responde, si poteris. Cur est impluvium in atrio? Ubi dormiunt servi? Potesne mihi dicere cur istic dormiant?

Ludus

Scisne quid sit ludus? Nonne tu quoque ludum frequentas?

Locus est, in quo litteras discimus. Proprie nominatur ludus litterarius. Alii enim sunt ludi: saltatorius, ubi discunt saltare, gladiatorius, ubi gladiatores pugnare discunt. Nos tamen, ego et amici mei, ludum frequentamus ut discamus litteras. Ante lucem ludum petimus, loculis lacerto sinistro suspensis, et servo vel paedagogo comitante.

Olim puer quidam ad portam ludi hos cecinit versiculos:

Quid tibi nobiscum est, ludi scelerate magister,
invisum pueris virginibusque caput?

Heu! audit magister ipse. Statim alterum iubet in umeros eum sublevare, alterum pedes retinere, dum ipse virgis caedit Ego taceo, ne in me quoque saeviat. O crudelem magistrum! Non male Horatius magistrum suum dixit esse «plagosum». Quot plagas, quot verbera pati cogimur!

Magister in cathedra solet sedere, nos circum eum sedemus. E parietibus dependent tabulae; non procul in angulo stant capsae, in quibus libri poetarum servantur. Nos discipuli dextra tenemus calamum, sinistra aut papyrum aut tabulam ceratam, quam in genu deponimus ut scribamus. Discimus scribere, recitare, rationes ducere. Iam litteras Graecas et Latinas a grammatico didicimus; mox a rhetore discam artem rhetoricam.

Plerumque poetas recitamus, praesertim Horatium et Vergilium. At scriptores rerum non omittimus.

LUDUS

Cena

Heri pater meus amicos suos ad cenam vocavit. Nona hora adveniunt convivae, in quibus erant senatores duo Romani, et ipse consul, vir summae dignitatis. Omnes a servis deducuntur in atrium; illinc in triclinium, ubi cenatur. Ego tamen non comitor convivas; quam vellem cenae adfuissem! Sed pueris in triclinio nullus est locus; viris solum cenae illae splendidae parari solent. Promisit tamen mihi pater me mensis secundis adfore ut aliquid ex poetis declamarem. Multa enim et pulchra didici carmina.

Primum mensis impositus est gustus, quo magis edere cuperent convivae. Deinde (recta enim erat cena) [1] multa alia inferuntur fercula, ut pisces, capones, aper; neque aberant lactuca, brassica, panis. Quibus omnibus consumptis, continuo secundae mensae apponuntur.

Nunc tandem me petit servus et ut carmen declamem introducit. Statim sequor non sine spe praemii; carmine enim recitato quis praemium mihi neget? Ingressus triclinium vidi convivas ordine positos. Tres

1 *Recta cena,* comida en toda regla, con todos los requisitos. La *cena* o comida principal comenzaba hacia las cuatro de la tarde y solía durar varias horas, ya que servía para reparar a un tiempo el cuerpo y el espíritu, sazonada con charlas, juegos y música. Constaba de tres partes: el aperitivo o *gustus,* parecido a nuestros entremeses; la *cena,* propiamente dicha, que constaba de varios platos, *fercula,* de carne y pescado, y los postres o *secundae mensae,* equivalentes a los nuestros. Cada plato se servía con su vino correspondiente. El rey del banquete, cargo que adjudicaban los dados, era a la vez *arbiter bibendi,* esto es, quien determinaba el número de copas que había de beber cada comensal.


Imus
Medius
Summus
Medius lectus
Summus
Medius
Imus
lectus
MENSA
Summus
lectus
Imus
Medius
Summus
Cyathus
Amphora
Cyathus
Crater

erant lecti, quos ita dispositos vidi: —Medium, summum ad dextram, imum ad sinistram. In uno quoque lecto tres convivae accumbebant, quos ita a dextra numero: —summi lecti summum medium imum; medii lecti summum medium imum; imi lecti summum medium imum. [1]

His visis convivas saluto, salutatisque prope ianuam sto et patris iussa exspecto. Ille cum risu exclamat: «En declamator noster! Recita nobis aliquid, mi Luci; nam magister tuus dicit te optime declamare posse». Hoc dicto omnes in me oculos convertunt, et ego carmen Catulli haud ignotum recito. Scis de quo Catullus loquatur, de Lesbiae passere.

Lugete, o Veneres Cupidinesque;
passer mortuus est meae puellae,
passer, deliciae meae puellae,
quem plus illa oculis suis amabat:
nam mellitus erat suamque norat
ipsam tam bene quam puella matrem,
nec sese a gremio illius movebat,
sed circumsiliens modo huc, modo illuc,
ad solam dominam usque pipilabat.
Qui nunc it per iter tenebricosum
illuc, unde negant redire quemquam.
At vobis male sit, malae tenebrae
Orci, quae omnia bella devoratis:
tam bellum mihi passerem abstulistis.
Vae factum male! vae miselle passer,
tua nunc opera meae puellae
flendo turgiduli rubent ocelli.

Ad haec omnes, «Optime» clamant, «declamas». Et conviva quidam «Puto», inquit, «istum puerum, Corneli, poetam ipsum futurum esse. At aliud declamet, precor: dulci enim voce est praeditus». His laudibus arrectus, illud quoque carmen declamo.

[1] El sitio de honor.

Issa est passere nequior Catulli,
Issa est purior osculo columbae,
Issa est blandior omnibus puellis,
Issa est carior Indicis lapillis,
Issa est deliciae catella Publi.
Hanc tu, si queritur, loqui putabis:
sentit tristitiamque gaudiumque.
Collo nixa cubat capitque somnos,
ut suspiria nulla sentiantur.
Hanc ne lux rapiat suprema totam,
picta Publius exprimit tabella,
in qua tam similem videbis Issam,
ut sit tam similis sibi nec ipsa.
Issam denique pone cum tabella;
aut utramque putabis esse veram,
aut utramque putabis esse pictam.

Iterum plaudunt omnes, negant tamen se scire a quo carmen scriptum sit. Rogant num Martialis sit carmen. Ego aio; tum crustulis aliisque delectamentis oneratus exeo.

Roma

Longum est omnia, quae Romae sunt, describere. In septem montibus aedificata est urbs Roma; monte Palatino, monte Aventino, monte Capitolino, colle Quirinali, colle Viminali, monte Esquilino, monte Caelio. Quorum cur duo sint colles nominati, quinque montes, nescio equidem. Trans Tiberim sunt etiam Ianiculum et mons Vaticanus. Inter Palatinum, Capitolinum, Esquilium, situm est Forum. In monte Palatino erat prima urbs, quam nominant Romam quadratam, cuius murus adhuc manet.

Heri in Forum descendimus. Hic ad imum Palatium vidimus Atrium Vestae. In Foro sunt a sinistra tabernae veteres, a dextra tabernae novae; in medio lacus Curtius, in quem iuvenis ille nobilis desiluit, ut patriam moriendo servaret. Adversa autem conspicimus rostra, quae pulpita sunt ex quibus oratores orationes habent ad populum. Circum Forum alia sunt aedificia; Curia, in qua deliberat senatus; Regia, in qua habitat Pontifex Maximus; tres Basilicae, Porcia, Aemilia, Iulia. In Basilicis iudicia conveniunt, negotiatores rem agunt.

Hinc per Viam Sacram ascenditur in Capitolium. Hac via triumphantes vehuntur duces, ut gratias agant Iovi Capitolino. Habet Capitolium duo capita; in altero templum est Iovis, in altero Arx.

Inter Viminalem et Esquilinum est Subura. Hic habitant plebeii; viri autem lautissimi in Palatino. Sunt alia quoque fora; forum Iuli, quod fecit C. Iulius Caesar, et forum Augusti, quae duo cum foro Romano tria sunt fora maxima; sed est et forum

ROMA
M. Vaticanus
CAMPUS MARTIUS
Via Flaminia
Collis Quirinalis
Collis Viminalis
Subura
M. Esquilinus
M. Capitolinus
Forum
M. Palatinus
Pons
Circus
M. Caelius
M. Aventinus
P. Caprae
Via Appia
Janiculum
TIBERIS
Scale
English Mile
Roman Mile

holitorium, ubi holera vendunt, et forum boarium, in quo bovis est statua magna.

Ut tria sunt fora, sic tria theatra in quibus ludos scaenicos spectamus. In Circo Maximo cursus sunt equorum, in Amphitheatro gladiatores inter se pugnant In thermis balneisque lavamur.

Sed de his longum est narrare; haec hactenus. Vereor enim ne te tantum Romae taedeat quantum me Hannibalis.

Dum per urbem ambulo, vidi in Vico Tusco domum spatiosam atque magnificam, cuius ad frontem erat titulus huiusmodi:

DOMVS HAEC
LOCATVR
EX KALENDIS IVLIIS
CONDVCTOR CONVENITO BALBVM
M. FRONTONIS SERVVM. [1]

Dum haec perlego risit aliquis ex comitibus. Cui ego «Quid rides?» inquam. At ille «Num ignoras» inquit «infamem esse hanc domum? Manes enim hic habitant. Per silentium noctis sonus ferri auditur et strepitus vinculorum. Mox apparet simulacrum, senex promissa barba et horrenti capillo et cruribus et manibus catenas ferreas gerit quatitque. Incolae terrore perculsi tota nocte vigilant; unde morbus insequitur, crescente autem timore, mors etiam. Inde deserta stat domus, ut vides, totaque illi monstro relicta. Proscripsit tamen M. Fronto, vir callidissimus, si quis tanto mali ignarus conducere velit».

Post aliquot dies dum per vicum eumdem ambulamus, titulum dereptum vidimus, ianuam apertam;

[1] Acuda el arrendatario a Balbo, el esclavo de M. Fronton.

audivimus philosophum aliquem conduxisse. «O stultum» inquam, «mox eum temeritatis paenitebit.» «Immo vero» inquit comes «de omnibus certior est factus. Nam cum audivisset, quantula esset pensio, vilitatem suspicatus, tanto acumine singula quaerit ut decipi non possit; sed nihilominus, immo tanto magis conducit.» At ego, «Vereor tamen ne hominem paeniteat aliquando.» Abimus, et quid eventurum sit exspectamus.

Postridie non cessamus adire domum; turba adest maxima, funus ducitur, nenias canunt, exsequias eunt omnes. «Nonne dixi» inquam «fore ut paeniteret philosophum illum temeritatis? Heri domum conduxit, hodie sepelitur». Statim ex turba «Fave lingua» exclamat aliquis «vivit enim adhuc philosophus, et ipse hominem sepelit». Tunc ego admiratus «Quid ergo» inquam «factum est, bone vir?»

Ille in hunc modum respondet: «Ubi advesperascere coepit iubet sterni sibi in prima domus parte, poscit ceras, stilum, lumen; suos omnes in interiora dimittit; ipse ad scribendum oculos, manum, animum intendit, ne vacua mens simulacra et inanes metus fingeret. Initio nihil nisi silentium noctis; dein concuti ferrum, vincula moveri.[1] Ille non tollere oculos, non remittere stilum, sed firmare animum. Tum crebrescere fragor, adventare, ac iam est in limine, iam ut intra limen audiri. Respicit; videt agnoscitque narratam sibi effigiem. Illa stabat innuebatque digito, similis vocanti; hic rursus ceris et stilo incumbit. Illa scribentis capiti catenas insonabat; hic rursus respicit,

[1] *Concuti..., moveri...,* formas de infinitivo histórico, lo mismo que las siguientes. Usanse en lugar del imperfecto de indicativo cuando se quiere imprimir mayor rapidez y vivacidad a la narración. Notad que el sujeto va en nominativo.

videt idem quod antea innuentem, nec moratus tollit lumen et sequitur. Ibat illa lento gradu, quasi gravis vinculis; postquam deflexit in aream domus, repente dilapsa est in auras.

Hic autem locum effodit; inveniuntur ossa catenis inserta atque implicita, quae collecta iam sepeliuntur.» Quibus auditis, exclamo «Et sunt tamen qui negent esse manes.[1] Adeant igitur, et discant ab expertis».

[1] La base de la religión romana la constituía el culto doméstico; de él formaba parte principal el rendido a los familiares difuntos, llamados *Manes* si se les consideraba favorables, *Larvae* o *Lemures* si hostiles por no haber los descendientes cumplido con ellos sus deberes. Uno de éstos era el de sepultura a que alude el pasaje.

Theatrum

Nudius tertius Romam rediimus et pater me sinit secum ad theatrum ire. In quattuordecim ordinibus, quippe qui equestri natus sit loco, sedebat; namque post senatores ex vetere instituto quattuordecim graduum ordines equestri ordini assignati sunt.

Postquam consedimus, pater auri meae ore suo admoto susurrans «Videsne» inquit «senem istum promissa barba, qui, designatore appropinquante, e loco suo semper cedit et quasi currit per ordines equestres?» «Cur, pater,» rogavi «ita agit? Designatorem videtur timere». Et iure timet» respondit pater «nam censu equestri caret; itaque non licet ei inter hos ordines sedere. Nemo enim inter equestres adscribi potest cui non sint quadringenta sestertia». [1]

Adhuc loquente patre, designatorem iterum homini appropinquantem vidi et quid esset eventurum mirabar, cum «Specta» inquit pater «quid sit facturus; ridiculam enim agit rem, et omnibus ludibrio est; immo vero Martialis poeta carmen scripsit ut eum irrideat». Tum vero Nanneium vidi (ita enim mihi pater dixit hominem appellari) designatori cedere donec ad ultimam sedem quartidecimi ordinis perventum est. Sed ne hanc quidem sedem retinere potuit et a designatore dimotus est. Genu igitur flexo apud hanc sedem manebat, ut videretur inter equites sedere, quamquam re vera nullam obtinebat sedem, sed extra ordines in foribus erat.

Simul atque aulaeum mittitur histrionemque vide-

[1] Cuatrocientos mil sestercios, unas cuatrocientas mil pesetas. Véase en el Vocabulario *sestertius*.

mus in scaena stantem, quantum audio strepitum! Immo vero vox histrionis plaudentium sonum non evaluit pervincere. Tragoedia quaedam agebatur, sed inter plaudentium strepitum nil audire poteram. Neque re vera spectatoribus placuit, nam mediam inter tragoediam clamare inceperunt et poscere ut ursi vel pugiles adhiberentur.

Deinde turmae equitum peditumque catervae trans scaenam currunt; sequuntur reges manibus retortis, esseda, pilenta, naves, pantherae, cameli, elephanti, tantaque omnium rerum animaliumque multitudo ut me quidem tam longae pompae mox taederet. Nec non spectatorum clamores molestiam mihi afferunt, namque ut Horatius dicit:

Garganum mugire putes nemus aut mare Tuscum,
tanto cum strepitu ludi spectantur et artes.

Tandem autem finis aderat et dum aulaeum tollitur [1] rem mirabilem vidi, nam Britannorum figurae in ipso aulaeo erant intextae; cum igitur aulaeum tolleretur ipsi Britanni manibus suis id tollere videbantur. Equidem vero putavi vivos eos esse gigantes, sed postquam e theatro dicessum est pater mihi totam rem exposuit.

1 El telón, contrariamente a lo que sucede en nuestros teatros, caía al comenzar la escena y se alzaba al final de la función. De ahí las expresiones *mittere aulaeum* bajar el telón, y *tollere aulaeum*, y alzar el telón.

Androclus et leo

Post hoc quadrigarum certamen, venationem, ut appellatur, vidi. Quo in certamine homines, nomine bestiarii, contra feras cuiusvis generis pugnant. Magna multitudo, varietasque mirabilis omnium ferarum undique collecta in arenam immittitur. Sed praeter alia omnia leonum immanitas mihi admirationi fuit, unius praesertim.

Is unus leo corporis impetu et robore, terrificoque fremitu et sonoro, toris comisque cervicum fluctuantibus animos oculosque omnium in se convertit. Introductus erat inter complures ceteros, ad magnam bestiarum datus, servus viri consularis. Ei servo Androclus nomen fuit. Hunc ille leo, ubi vidit procul, repente, quasi admirans, stetit; ac deinde sensim atque placide ad hominem accedit; tum caudam more atque ritu adulantium canum clementer et blande movet, hominisque sese corpori adiungit, cruraque eius et manus metu iam paene exanimati, lingua leniter demulcet.

Homo Androclus inter illa tam atrocis ferae blandimenta amissum animum receperat; paulatim oculos ad contuendum leonem refert; tum, quasi mutua recognitione facta, laetos et gratulabundos videres hominem et leonem. Haec tam mira res maximos populi clamores excitavit; nec non Caesar Androclum arcessitum rogavit quam ob rem ille atrocissimus leonum uni pepercisset. Deinde Androclus rem mirificam narravit atque admirandam.

«Cum provinciam» inquit «Africam proconsulari imperio dominus meus obtineret, ego ibi iniquis eius et cottidianis verberibus ad fugam sum coactus; et ut mihi a domino, terrae illius praeside, tutiores latebrae forent, in camporum et arenarum solitudines con-

cessi; ac, si defuisset cibus, consilium fuit mortem aliquo pacto quaerere.

Tum sole medio rapido et flagrante speluncam quamdam nactus remotam latebrosamque, in eam penetro et me recondo, neque multo post ad eamdem speluncam venit hic leo, debili uno et cruento pede, gemitus edens et murmura dolorem cruciatumque volneris commiserantia; et primo quidem conspectu advenientis leonis, summo terrore affectus sum; sed postquam leo speluncam introgressus vidit me procul latentem, mitis et mansuetus accessit; sublatum pedem ostendit ac porrexit, quasi opis petendae gratia; ibi stirpem ingentem pedi eius haerentem revelli, conceptamque saniem volnere intimo expressi, accuratiusque, sine magna iam formidine, siccavi penitus atque detersi cruorem.

Ille tunc mea opera levatus, pede manibus meis imposito, recubuit et quievit; atque, ex eo die, triennium totum ego et leo in eadem spelunca eodemque victu viximus. Nam, quas venabatur feras, membra opimiora ad speluncam mihi suggerebat; quae ego quippe qui ignis copiam non haberem, sole meridiano tosta edebam. Sed ubi me vitae illius ferinae iam pertaesum est, leone venatum profecto, speluncam reliqui.

Non ita multo post a militibus visus apprehensus sum et ad dominum ex Africa Romam deductus. Is me statim rei capitalis damnandum ad bestiasque dandum curavit. Intellego autem hunc quoque leonem captum gratias mihi nunc etiam beneficii referre.

Quae cum ita narravisset Androclus, cunctis petentibus, dimissus est et poena solutus, leoque ei suffragiis populi donatus. Equidem vero postea videbam Androclum et leonem loro tenui revinctum urbe tota circum tabernas ire; donari aere Androclum, floribus spargi leonem; omnes fere ubique obvios dicere «Hic est leo hospes hominis; hic est homo medicus leonis».

Pugiles

Dein currentium, saltantium, luctationis, pugilum, discos iaciendo certamina erant. Pugiles modo, dentifrangibulos homines, describam. Quam latos umeros, quantos habebant lacertos.

Primus in arenam Entellus processit atque in medium duos caestus magni ponderis proiecit; obstupuerunt spectatores, tanto rigescebant plumbo et ferro insuto. Alter tamen pugil, nomine Dares, haudquaquam videbatur timere. Ambo statim magnos artus, magna ossa, lacertosque nudabant; ingentes media in arena consistebant. Ut nolim talibus obviam ire noctu, vel in vico tenebricoso et deserto!

Servi paribus caestibus utriusque manus alligaverunt; statim uterque in articulos pedum stetit erectus, et intrepidus erexit bracchia in altum; iamque ab ictibus alta capita retro avertunt; creberrima inter se verbera dant, Dares fortior agilitate pedum et iuventute defensus, Entellus magnitudine membrorum robustus, sed genua pigra vacillant trementi, et difficilis anhelitus vasta membra agitat; cavis lateribus multos ingerunt ictus; e pectore magnos edunt sonitus; nec non malae sub gravibus ictibus crepitant.

Entellus consistit gravis et immotus eodem in statu, tantummodo eludit ictus corpore et oculis vigilantibus. Alter dolose nunc hos, nunc illos tentat aditus, frustraque vario impetu premit. Entellus insurgens ostendit dextram et alte tollit, alter celer praevidet ictum, et levi corpore elapsus effugit. Entellus in auras effundit impetum et ipse gravis et graviter magno pondere in terram procumbit. Diversis studiis spectatores

omnes surgunt, alii cachinnos, alii misericordiae clamores tollunt; [1] strepitus ad caelum mittitur.

Sed Entellus, tanto casu neque tardatus neque territus surgit ardentiorque ad pugnam redit; ira vim addit et fortitudo sibi conscia vires inflammat; toto campo currentem Dareta urget, nunc dextra, nunc sinistra ictus dat. Neque mora, neque requies erat; sed quam densa grandine nimbi super tecta crepitant, tam densis ictibus Entellus utraque manu frequens verberat Dareta agitatque.

